

CAPUT XXVI.

Quæ præparanda pro Officio feriæ sextæ in Parasceve, Episcopo tantum præsentate, seu absente, et in Collegiatis. Accessus Episcopi ad Ecclesiam, et celebrantis ad altare. Episcopus nulli benedicit, nec osculum manus recipit hac die. A quo, et ubi Epistola et prima Prophetia cantentur. Secunda Prophetia cantanda a Subdiacono. Quomodo, et a quibus procedatur ad cantandam Passionem. Quo habitu Diaconus reliquam Passionem cantet. Sermocinator Indulgentiam tantum ab Episcopo petat. Ubi celebrans dicat Orationes. Ordo denudandæ Crucis, et procedendi ad ejus adorationem. Processio ad recipiendum SS. Sacramentum, quod gestare debet Episcopus, et celebrans super altari collocare. Cætera, quæ a celebrante explenda sunt. Vesperæ quomodo compleantur. Indulgentia, si non est habitus sermo, quando publicanda.

1. Præparentur et servantur omnia in præcedenti Capite expressa, si celebrans sit Prælati, habens insignia Pontificalia, exceptis Diaconis assistentibus: si vero non sit Prælati, sed aliquis Canonicus, omnia prædicta similiter parentur, præter faldistorium et abacum; et ipse celebrans cum suis ministris parentur in sacristia ante adventum Episcopi, qui hora congrua, indutus cappa ex lana violacei coloris, associatus a Canonicis more consueto, venit ad Ecclesiam, orat prolixius ante altare, super genuflexorio nudo genuflexus, et ad ejus sinistram aliquantulum post ipsum celebrans super scabello nudo cum Diacono et Subdiacono in nudo solo genuflectentibus: cumque oraverint prolixius solito, Episcopus surget, ascendet ad sedem suam, comitantibus duobus suis assistentibus, qui apud eum assistunt, more solito; et celebrans vadit ad altare, et illud osculatur. Deinde, si sit Prælati, ad suum faldistorium; sin minus, ad scamnum nudum pro ipso et suis ministris paratum.

2. Tunc vero per clericos et ministros extenditur tobalea, seu mappa super altari, quæ parum hinc inde pendeat. Episcopus hac die nulli manu, nec verbo benedicit, neque recipit osculum manus ab aliquo, sed nec ipse osculatur textum Evangelii, nec incensatur ut alias. Cum omnes consecderint, aliquis ex Beneficiatis, vel Cantoribus cotta indutus, ducente Cæremoniario, sibi ipse librum deferens, cum debitis reverentiis celebranti, altari cum genuflexione, et Episcopo, accedit ad locum, ubi cantari solet Epistola, ubi alta voce cantat primam Prophetiam sine titulo, librum manibus tenens; qua finita, et factis iterum debitis reverentiis, redit ad locum suum, relinquendo librum super abaco, vel mensa, et recitatur per chorum Tractus *Domine, audi vi, etc.*, post Prophetiam, quam simul cum Tractu legunt tam ipse celebrans, quam Episcopus, sedentes in suis sedibus, servientibus Episcopo de libro solitis Capellani, celebranti vero Subdiacono.

3. Finito Tractu per chorum, celebrans surgit; et si est Prælati, stans ante faldistorium versus ad altare, dicit *Oremus*, et Diaconus retro ipsum *Flectamus genua*, Subdiaconus vero *Levate*. Tunc Episcopus et omnes genuflectunt, excepto celebrante, et statim surgunt: si vero non est Prælati, apud altare; celebrans autem cantat Orationem *Deus, a quo et Judas, etc.*, in tono uniformi et feriali. Qua finita, sedet, sedente Episcopo et omnibus.

4. Tunc Subdiaconus, deposita planeta plicata, sumptoque libro, vadit cum Cæremoniario, factis debitis reverentiis, ad cantandum alteram Prophetiam in eodem loco; qua cantata, reassumit planetam plicatam, et celebrans ac Episcopus legunt ipsam Prophetiam et Tractum, ut prius; et dum per chorum cantatur præfatus Tractus, tres Capellani, seu Cantores, qui Passionem sunt cantaturi, parantur in sacristia, et circa finem Tractus, ordine, prout in *Cap. præcedenti* dictum est, cantant Passionem.

5. Episcopus, celebrans et omnes, cum inchoatur Passio, surgunt et stant, detecto capite, usque ad ejus finem:

sed celebrans stat apud altare in cornu Epistolæ, et legit secreta ex libro super altari posito Passionem usque ad finem, versus aliquantulum ad ipsos cantantes, qui Passionem prosequuntur; et, ea finita, Diaconus cantat Evangelium, seu reliquum Passionis in tono Evangelii, servatis omnibus, quæ superius expressa sunt.

6. Finito Evangelio, Diaconus cum suis sociis, factis debitis reverentiis, recedit, et manet in habitu, quo reperitur usque ad finem Officii: et interim, si sermo est habendus, ducitur per Cæremoniarium sermocinaturus ante Episcopum, a quo petit tantum Indulgentias absque benedictioe; et statim, finito sermone, illas pronuntiat, cum non fiat confessio, nec per Episcopum absolutio, nec benedictio.

7. His expletis, vel, si non fiat sermo, statim finita lectione in tono Evangelii, celebrans accedit ad altare in cornu Epistolæ cum suis ministris, et cantat Orationes, prout in Missali; advertendo, quando dici et quando omitti debeat *Amen*, per chorum, et *Flectamus genua*, per Diaconum: quæ verba *Flectamus genua* cum dicuntur, Episcopus et alii, ut supra, genuflectunt, et surgunt, cum per Subdiaconum dicitur *Levate*.

8. Antequam dicatur ultima Oratio, ministri extendunt longum pannum, seu tapete ante gradus altaris, vel Presbyterii cum pulvino et mappa, ut in *præcedenti Capite* dictum est.

9. Completis Orationibus, celebrans, si est Prælati, accepta mitra, procedit ad faldistorium, ubi deponit mitram et casulam, et vadit ad posteriorem partem cornu Epistolæ altaris; et, si non est Prælati, deponit casulam in solito scamno, cui stanti post angulum dicti lateris altaris, facie versa ad populum, seu chorum, Diaconus offert crucem velatam, de altari reverenter acceptam, qui eam devote accipiens, manu dextera detegit illius summitatem usque ad transversum crucis; prout supra dictum est; et dum celebrans cantat *Ecce lignum crucis*, tenet ei librum,

si est Prælati, assistens, si vero non est Prælati, Capellanus; et Episcopus tunc et omnes, detecto capite, surgunt; et semper dum chorus respondet *Venite adoremus*, Episcopus et omnes alii, excepto solo celebrante, genuflectunt.

10. Dicto tertio *Ecce lignum crucis*, et servatis omnibus superius expressis, celebrans ipse solus absque ministris, procedit ad locum, ubi est positum pulvinar antedictum; portans crucem ambabus manibus elevatam cum reverentia et devotione; nullam tunc Episcopo, neque altari reverentiam faciens, et eam genuflexus ponit, et firmat chordulis, si opus est, supra dictum pulvinum, adjuvante Cæremoniario, qui paulo ante ponere debet lancem prope ipsum pulvinum ad dexteram adorantis, ubi pecuniæ, quæ cruci offeruntur, ponantur.

11. Deinde celebrans, facta reverentia Episcopo, redit ad faldistorium, seu sedile, ubi deponit calceos, seu crepidas; eodemque tempore Episcopus a suis scutiferis, oras cappæ a Capellanis elevatas subeuntibus, excalceatur; qui fimbrias posteriores cappæ per terram trahens, anteriores vero sibi ipse elevans; detecto capite, descendit ad adorationem crucis, medius inter duos Diaconos assistentes, et gradiens per dictum tapete, ter cum debita distantia genuflectit ante crucem, aliquantulum pro unaquaque vice orando, et demum crucem osculatur, offerens tamen prius cruci pecunias, quas volet offerre: tum redit ad suam sedem, et accipit calceos, quos deposuerat, dictis scutiferis eodem ordine subeuntibus, ut prius; et sedens coopertus legit *Improperia*, quæ etiam interim per chorum cantantur in totum, vel in partem, prout numerus adorantium suadebit.

12. Post Episcopum immediate adorant celebrans, deposita planeta, et retentis dalmatica et tunicella, si sit Prælati, et procedit medius inter duos digniores Canonicos; et si non sit Prælati, ibit ad dexteram dignioris Canonici, casula exutus: sequuntur postea Canonici, bini, qui omnes

deponere debent calceos, et alii, prout supra expressum est in *Capite præcedenti*, et circa finem adorationis accenduntur cerei, ut ibi, et Diaconus portat bursam, explicat corporale super altari, et peracta adoratione, accipit crucem de pulvino, eamque reverenter portat ad altare, nulli reverentiam faciens: sed Episcopus, celebrans et omnes tunc cruci genuflectunt, et statim surgunt, et removetur pulvinus, pelvis cum pecuniis, et tapete.

13. Mox ordinatur processio, prout ibi dicitur, et proceditur ad locum, ubi est repositum SS. Sacramentum. Celebrans autem solus paratus procedit immediate ante Episcopum, qui, dum ordinatur processio, deponat cappam, et accipiat amictum et stolam supra rochetum, ac pluviale nigrum, et mitram simplicem.

14. Cum pervenerit ante fores sacelli, ubi est SS. Sacramentum, deponit mitram, et statim ingressus sacellum, genuflectit, mox surgit, et in primo gradu altaris iterum genuflectit super pulvino, et iterum surgit, et stans, imponit incensum in duo thuribula, nihil dicens, ministrante Presbytero assistente; et rursus genuflectus super pulvino, incensat triplici ductu Sanctissimum Sacramentum, Sacrista aperiente capsulam, ut supra; et statim apponitur velum circa humeros Episcopi, ita ut æqualiter hinc inde pendeat, ut supra.

15. Tunc celebrans accipit SS. Sacramentum de dicta capsula, illudque in manibus Episcopi collocat, et statim genuflectit. Episcopus capit, ambabus manibus velo, quod circa humeros habet, coopertis, calicem, ubi est SS. Sacramentum, velo coopertum, et illud portat reverenter sub baldachino, quod deferunt Beneficiati cum cottis, præeuntibus Capellanis cum funalibus accensis, et duobus Acolythis cum duobus thuribulis, continuo incensantibus SS. Sacramentum, et revertitur ad altare ordine, quo venerat, cantoribus Hymnum *Vexilla Regis prodeunt, etc.*, cantantibus.

16. Cum autem pervenerint ad cancellos altaris, vel ad gradus Presbyterii, ut supra, removetur baldachinum, et

celebrans genuflectus ante gradus altaris, accipit SS. Sacramentum de manu Episcopi stantis, illudque reverenter collocat super eodem altari.

17. Deinde deposito velo, Episcopus genuflectit super pulvino in primo gradu altaris: mox surgit, et ministrante Presbytero assistente, ponit incensum in thuribulum absque benedictione, atque iterum genuflectus, incensat SS. Sacramentum triplici ductu, postea revertitur ad sedem suam, et stans ponit denuo incensum in thuribulum, per Cæremoniarium allatum, ministrante Presbytero assistente, et demum genuflectus, permanet ita, donec perficiatur Communio. Capellani autem cum funalibus hinc inde, versis ad invicem faciebus, similiter genuflecti, tenent funalia accensa usque post Communionem.

18. Celebrans vero postquam Episcopus ad sedem suam pervenerit, extrahit SS. Sacramentum de calice, et ponit super patenam, quam Diaconus, nihil dicens, et sine osculo, offert celebranti, qui illud super corporale ponit, similiter nihil dicens: Diaconus autem ponit vinum et Subdiaconus aquam in calice, quæ non benedicitur, nihil dicens; deinde offert calicem celebranti, qui illum ponit super altari, ut alias, nihil dicens, et palla tegitur per Diaconum.

19. Tunc, accepto thuribulo de manu Diaconi, quod Cæremonarius ad altare detulit, facta prius genuflectione SS. Sacramento, illud thurificat, inde crucem et altare, dicens omnes Versiculos solitos, non tamen incensatur ipse celebrans, neque Episcopus, sed incensato altari, celebrans extra cornu Epistolæ stans versus populum sine mitra, si ea utatur, lavat manus, deinde ad medium altaris cum genuflectione reversus, dicit inclinatus, summissa, sed intelligibili voce *In spiritu humilitatis, etc.*; dicit *Orate fratres, etc.*, non peragens gyrum, ut alias, non in medio, sed a latere, ut non vertat tergum SS. Sacramento: deinde, omissis omnibus aliis, absolute dicit in cantu feriali *Oremus: Præceptis, etc.*, et chorus respondet *Sed libera nos, etc.*,

et postquam celebrans secrete respondit *Amen*, prosequitur in tono feriali absolute, dicens *Libera nos, quæsumus, Domine, etc.*, usque ad *Amen* exclusive, quod chorus alte respondet.

20. Quo dicto, celebrans, facta usque ad terram reverentia, Sacramentum dextera accipit, quod elevat sola dextera altius solito, ita ut ab omnibus videri possit, sinistra super altari retenta; et statim deponit hostiam, illamque dividit in tres partes, quarum unam mittit in calicem, more consueto, sed sine signo crucis, nihil dicens: tunc secrete, ut alias, dicit *Perceptio Corporis, etc. Panem cælestem etc.*; et *Domine, non sum dignus, etc.*; et continuat *Corpus Domini, etc.*, quo dicto, signat se cum Sacramento, et illud sumit, et demum nihil dicens, sumit vinum et aquam cum particula in calice existente: quo facto, exportantur funalia extinguenda, et omnes surgunt et sedent.

21. Tunc celebrans, si est Prælati, accepta mitra, in cornu Epistolæ, ut alias, lavat manus: deposita mitra, versus ad medium altaris dicit, inclinatus, manibus junctis, *Quod ore sumpsimus, etc.*; si vero non est Prælati, non lavat manus, sed sumpto calice, dicit, ut supra, *Quod ore sumpsimus, etc.*, quo dicto, revertitur, si sit Prælati, cum mitra ad faldistorium; si non sit Prælati, ad Sacristiam, et exiit se; et interim Episcopus deponit pluviale, et accipit cappam, et inchoantur Vesperæ, ut in *Capite præcedenti* dictum est: et in fine Episcopus descendit ad faldistorium, et dicit Orationem *Respice, quæsumus Domine, etc.*, ut ibi: qua dicta, si sermo non fuerit habitus, tunc publicantur per Presbyterum assistentem Indulgentiæ.

22. Absente Episcopo, et in Ecclesiis Collegiatis servantur omnia suprascripta, exceptis his, quæ ad Episcopum pertinent, et ad celebrantem Prælatum, et prout adnotatum legitur in Rubricis Missalis.

CAPUT XXVII.

Sabbato sancto altaria et sedes Episcopalis duplici ornatur, coloris albi intus, et violacei foris aptentur. Cereus Paschalis, quinque grana incensi, arundo cum tribus candelis præparanda. Ubi, et quo ritu novi ignis et incensi benedictio fiat. Ubi item candelæ, et quomodo accendantur. Ordo cantandi præconium per Diaconum, standi ad illud, et infigendi grana incensi in cereo. Quando Episcopus accipiat sandalia alba, faciat præparationem, et induatur una cum ministris paramentis Pontificalibus violaceis. Ordo accedendi ad altare pro cantandis Prophetiis, standi ac genuflectendi ad Orationes. Ordo procedendi ad benedictionem Fontis, Episcopo baptizante, vel non baptizante. Catechumeni baptizandi sunt, aut ab Episcopo, aut a digniore Capituli. Ordo redeundi ad altare, cantandi Litanias, sumendi paramenta alba per Episcopum et ministros, removendi ornamenta violacea ab altari et a sede Episcopali. Qui ritus servandus in principio Missæ. Campanæ quando pulsandæ. Subdiaconi verba post recitatam Epistolam. Allelúia, quando et qua modulatione intonetur. Ordo dicendi Evangelium, et prosequendi Missam, celebrandi Vesperas, incensum ministrandi, et perficiendi ipsam Missam.

1. Sabbato Sancto summo mane vestiuntur altaria, et sedes Episcopalis ornatur cortinis duplicibus, videlicet, intus alba, exterius violacea: sic etiam duo pallia ante altare majus applicantur et aptantur, ut, cum opus fuerit, faciliter removeri cito possit violaceum, et remaneat album, ut infra dicitur. Præparetur etiam cereus Paschalis prægrandis cum quinque granis incensi, in eo infigendis, qui ponitur in aliquo magno candelabro condecenti, regulariter in latere Evangelii, vel alibi pro situ

loci; et apud illum locatur pulpitum, sive legile cooperatum panno albo serico, vel auriphrygiato. Item præparetur arundo cum tribus candelis albis, in summitate positis.

2. In reliquis ornatur Ecclesia, altare, abacus et chorus, prout in Dominicis Adventus, et Quadragesimæ, sed cerei relinquuntur extincti, donec erit tempus accendendi, ut infra.

3. Dicta hora Sexta, excutitur e silice ignis extra Ecclesiam, et accenditur, et per aliquem Sacerdotem, vel Canonicum paratum amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violaceo, vel, si magis placet, quod melius erit, per ipsummet Episcopum paratum, ut supra, cum mitra, assistantibus ministris cum cruce, vase aquæ benedictæ, et aspensorio, thuribulo et navicula, et granis incensi supradictis in aliquo bacili argenteo, ubi haberi potest, benedicuntur novus ignis et grana prædicta, prout habetur in Missali: deinde, si Episcopus benedixit, deposito pluviali, et accepta cappa, sedet in sua sede, benedicit, et imponit incensum in thuribulum, ministrante Presbytero assistente, more solito.

4. Si Episcopus ex aliqua causa urgenti non benedixit ignem, hora competenti, associatus more solito, venit ad Ecclesiam cum cappa, orat, ascendit sedem, imponit et benedicit incensum, ut supra. Subdiaconus Epistolam cantaturus, paratus amictu, alba, cingulo et planeta violacea ante pectus plicata, capit crucem, et factis debitis reverentiis, vadit cum Diacono et aliis ministris extra Capellam ad capiendum grana incensi et arundinem prædictam in sacristiam, vel alio, hoc ordine.

5. Præcedit aliquis mazzerius, seu minister cum baculo, tum Cæremoniarius; sequuntur duo Acolythi cum cottis, quorum, qui est a dexteris, portat thuribulum cum navicula, alter a sinistris nihil fert; post eos incedit Subdiaconus cum cruce, et post eum Diaconus paratus dalmatica albi coloris, manibus junctis; post Diaconum sequuntur duo, aut quatuor Acolythi, seu Capellani cum cottis.

Interim Episcopus, Canonici et alii de choro sedent, expectantes.

6. Cum pervenerint ad sacristiam, seu locum deputatum, ubi jam erunt præparata grana prædicta, et arundo cum tribus candelis, ac ignis novus, accenditur una parva candela ex dicto igne, quem portat Cæremoniarius. Diaconus capit arundinem, unus Acolythus bacile cum quinque granis incensi, et revertuntur hoc ordine. Primo dictus mazzerius, seu minister cum virga, deinde duo Acolythi; videlicet, unus cum bacili et granis incensi, quod portat ambabus manibus elevatum a dexteris, et alter cum thuribulo et navicula a sinistris; tum Subdiaconus portans crucem, post eum Diaconus cum arundine prædicta, ad ejus sinistram Cæremoniarius cum candela una parva, vel duabus accensis; et ultimo duo, vel quatuor Acolythi prædicti cum cottis.

7. Cum Diaconus ingressus fuerit Ecclesiam, inclinatur caute arundinem, et Cæremoniarius, deferens candelam accensam de novo igne, accendit unam ex tribus candelis, in summitate arundinis positis, et statim Diaconus arundinem elevat, et tam ipse, quam alii omnes, et Episcopus genuflectunt, præter Subdiaconum ferentem crucem, et Diaconus alta voce cantat *Lumen Christi*. Quo audito, Episcopus, et omnes surgunt, et chorus respondet in eodem tono *Deo gratias*. Deinde, Diacono procedente ad medium Ecclesiæ, iterum inclinatur arundinem, et accenditur altera candela, ut prius et eodem modo cum omnibus genuflexus, altiori voce cantat *Lumen Christi*, et similiter respondetur per chorum *Deo gratias*. Idem tertio fit, et dicitur ante altare, et accenditur tertia candela, et Diaconus adhuc altiori voce cantat, et respondetur ei per chorum, ut supra.

8. Tunc Episcopus et omnes sedent, ipsi vero ministri surgunt, et factis reverentiis altari et Episcopo, secedunt ad locum, ubi cantandum est *Exullet jam, etc.*

9. Diaconus vero, deposita arundine in manibus unius ex

dictis Acolythis, capit de manu Cæremoniarum librum, et accedens cum debitis reverentiis ante Episcopum, comitante eodem Cæremoniarum, petit ab eo benedictionem absque osculo manus, dicens *Jube Domne, etc.* cui Episcopus respondet *Dominus sit in corde tuo, etc.*, prout in benedictione pro Evangelio recitando; sed loco Evangelii dicit *Paschale præconium, etc.*, et manu benedicit.

10. Diaconus, habita benedictione, accedit, factis debitis reverentiis, ad legile; ponit super eo librum apertum, quem adolet incenso triplici ductu, sed non signat librum, nec se, prout in Evangelio. Ministri circa legile locantur hoc pacto. Subdiaconus cum cruce versa ad Episcopum, et Acolythus thuriferarius stant a dextris ipsius Diaconi: Acolythus cum arundine, et alter cum grana incensi a sinistris, vertentes facies, prout ipse Diaconus: et cum Diaconus incipit cantare *Exultet jam, etc.*, Episcopus et omnes surgunt, detectis capitibus; Diaconus prosequitur cantum suum, et suo tempore infigit quinque grana incensi in cereo in modum crucis, quæ respiciat faciem Episcopi, et pariter suo tempore illuminat cereum cum una ex tribus candelis in arundine positis, prout in Missali: et advertat Diaconus quod si Imperator non est coronatus, debet dicere *Electum Imperatorem nostrum N.*

11. Finito cantu per Diaconum, omnes inde recedunt cum debitis reverentiis; Diaconus vero, celebraturo Episcopo, deponit dalmaticam, sumpta stola violacea, et Subdiaconus planetam, et sic in albis accedunt ad Episcopum; qui stans, capite detecto, dicit secrete *Pater noster*, et mox sedet, et chorus recitat Nonam.

12. In fine Nonæ Episcopus descendit de sede, et cum dicitur *Christus factus est, etc.*, procumbit super faldistorio, et genuflexus dicit Orationem *Respice quæsumus, Domine, etc.* Qua finita, surgit et revertitur ad sedem suam, ubi sedens accipit sandalia alba, quia illa non mutat, legit Psalmum *Quam dilecta, etc.* cum *Gloria Patri, etc.*, et alias Orationes, et Versiculos consuetos; lavat manus, et paratur omnibus

indumentis Pontificalibus, et manipulo coloris violacei, non tamen pallio, si sit Archiepiscopus, ac mitra simplici a dictis Diacono et Subdiacono in albis assistentibus: et cum Episcopus accipit planetam, pariter Canonici capiunt paramenta ipsis congruentia, coloris violacei, et ipsi Diaconus et Subdiaconus planetas ante plicatas, ejusdem coloris, ac manipulos, et Canonicus Presbyter assistit cum pluviali ejusdem coloris; et alii duo Diaconi, ubi est consuetum, assistunt, ut alias.

13. Cum Episcopus fuerit paratus, descendit cum mitra, et baculo de sua sede, et comitantibus prædictis assistentibus et ministris, accedit ad altare, quod sine mitra in medio osculatur, deposito interim baculo: et facta cruci reverentia, mox, recepta mitra et baculo, revertitur ad eandem suam sedem: Diaconus vero Evangelii, et Subdiaconus de Epistola, si assistant alii duo digniores Diaconi, sedent in scamno, aut scabellis apud cornu Epistolæ, ut dictum est in *Capite VIII. §. xxxvi. hujus Lib. II.* de Missa solemnè, Episcopo celebrante. Locatur in medio chori, vel Presbyterii pulpitem, seu legile nudum, et omnibus considentibus, ducitur a Cæremoniarum aliquis Acolythus, sive cantor indutus cotta, qui, factis debitis reverentiis altari et Episcopo, cantat sine titulo primam Prophetiam: qua finita, accedit cum debitis reverentiis ad osculandam manum Episcopi, antequam surgat pro Oratione cantanda.

14. Tum Episcopus surgit, deposita mitra, dicens *Oremus*, et Diaconus assistens ad ejus dexteram, dicit *Flectamus genua*, et omnes genuflectunt, excepto Episcopo: alter vero ad sinistram *Levate*, et omnes surgunt: ipse vero Episcopus prosequitur Orationem, stans manibus extensis, sustinente librum Presbytero assistente more solito: sed, ubi non assistunt prædicti duo antiquiores Diaconi, servient in hujusmodi ministerio, et aliis, prædicti Diaconus et Subdiaconus Evangelii et Epistolæ.

15. Cantantur deinde aliæ Prophetiæ ab Acolythis, vel cantoribus eodem ordine, et post quartam, octavam et un-

decimam Lectionem, seu Prophetiam, Episcopus legit ex libro Tractum: dum cantatur a choro, et pariter per eosdem Diaconos assistentes suo tempore dicitur *Flectamus genua*, et *Levate*, ut in Missali.

16. Finitis Lectionibus, si Episcopus voluerit ipsemet benedicere Fontem, quod valde convenit, depōsita planeta, et sumpto pluviali violaceo ac baculo ibit, præcedente cruce, cum cereo benedicto accenso, qui portabitur immediate ante crucem, et Canonicis paratis, ac aliis de clero, ad illum benedicendum, et alia fiunt et cantantur, etiam circa Baptismum, prout in Missali.

17. Si vero non potuerit Episcopus id præstare, destinabit aliquem ex dignioribus Capituli, qui pluviali paratus, comitantibus aliquot Acolythis et ministris cum cereo accenso et cruce, ea omnia faciet.

18. Quibus peractis, si aderunt catechumeni, baptizentur more solito ab Episcopo, aut a digniore ex Capitulo, ut in *numero præcedenti*, et per octo dies ante in ipsa Ecclesia, nisi periculum immineat, nullus infans baptizetur.

19. Si Episcopus id præstiterit, eodem ordine redibit ad altare majus ubi, deposito pluviali, cum mitra procumbit ante illud super faldistorio, et pariter omnes in suis locis genuflectunt: et duo Capellani, sive cantores genuflexi ante scabellum versus cornu Epistolæ retro Episcopum, habentes ante se librum, inchoabunt Litanias: et si aderunt ordinandi, prosternent se per gyrum, dum dicuntur Litaniam, et alia fiunt, prout in Pontificali Romano *de Ordinibus dandis*, respondente choro, et repetente omnia, quæ ipsi Capellani, sive cantores dicunt, et cum perventum fuerit ad Versiculum *Peccatores*, Episcopus surgit, et ibidem stans, deponit paramenta violacea, et accipit alba ac pallium, si est Archiepiscopus.

20. Diaconus autem et Subdiaconus, paulo ante depositis planetis violaceis ante plicatis, assumunt dalmaticam, et tunicellam albas, ut præsto sint ad induendum Episcopum.

21. Interim removentur etiam ab altari, et sede Episcopi pallia violacea, et accenduntur luminaria. Capellani vero, sive cantores jam dicti, prosequuntur Litanias usque in finem, respondente choro, ut supra, et in fine cantatur *Kyrie, eleison*, cum pausa convenienti, donec Episcopus fuerit in sua sede, ad cantandum *Gloria in excelsis Deo, etc.*

22. Episcopus, postquam est albis paramentis paratus, facit confessionem cum ministris, more solito; ascendit ad altare, illudque ac librum Evangeliorum osculatur, imponit incensum in thuribulum, et benedicit, incensat altare, et incensatur ipse a Diacono, et revertitur ad suam sedem, ubi, dicto *Kyrie eleison*, cantat *Gloria in excelsis Deo, etc.*

23. Tunc pulsantur campanæ et organum, et prius debent moneri aliæ Ecclesiæ civitatis, ne pulsent campanas, nisi prius audito signo campanarum Ecclesiæ Cathedralis.

24. Finito Hymno *Gloria in excelsis Deo, etc.*, per cantores, Episcopus surgens sine mitra, dicit versus populum *Pax vobis*, deinde Orationem *Deus, qui hanc sacratissimam noctem, etc.*

25. Finita Epistola, Subdiaconus, dimisso libro in manu Cæremoniarum, immediate accedens ante sedem Episcopi, clara voce dicit *Reverendissime Pater, annuntio vobis gaudium magnum, quod est Alleluia*, et statim accedens, osculatur ejus manum. Tunc is, cui ex officio id incumbit, vel aliquis Canonicus præintonat Episcopo *Alleluia*, qui surgens sine mitra, ter cantat *Alleluia*, semper elevando vocem gradatim: et chorus post quamlibet vicem repetit illud idem; et postea chorus prosequitur Versiculum *Confitemini Domino, etc.* Tunc Episcopus sedet, et prosequitur Missam, prout in Missali, servatis omnibus cæremoniis, quæ late explicatæ sunt in prædicto Capite VIII. Lib. II. Ad Evangelium non portantur luminaria, sed incensum tantum; et petitur benedictio: dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum*, sed non datur pacis osculum, nec dicitur *Agnus Dei, etc.*, nec Postcommunio, sed tres Orationes ante Communionem dicuntur.

26. Post Communionem Episcopus, facta purificatione,